

liberum arbitrium. Quale autem sit hoc voluntarium, explicat dicens: *Tales enim seruos suos meliores esse iudicavit Deus, si ei servirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Semper ergo quasi per antonomasiam simpliciter voluntarium vocat illud, quod liberum est, eique necessitatem opponit.

12. Et eodem modo loquitur lib. 1 contra Faust.; et 5 de Civit., c. 10: *Multa (inquit) facimus, quæ si nollemus, non utique faceremus; quo primitus pertinet ipsum velle; nam si volumus, est; si nolimus, non est;* et lib. de Grat. et Liber. arbitr., c. 3, sic ait: *Cui dicitur: Noli vinci a malo, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convincitur; velle enim et nolle propriæ voluntatis est;* et plura specialiter de operibus gratiæ statim afferemus. Neque in aliis locis est sibi contrarius, licet, ut dixi, interdum liberum vocet voluntarium, utique perfectum, etiam quoad determinationem ad unam partem potius quam ad aliam; et similiter necessitatem aliquando vocat coactionem, quando fit contra modum naturalem operandi voluntatis. Specialiter vero loco illo, de grat. Christi, loquitur de libertate non tantum a necessitate, sed etiam a servili modo operandi, quod apud Augustinum est frequens; dixerat enim ibi per gratiam fieri, *ut non sit terribile, sed suave mandatum, id est, ut non formidine pœnæ cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege.* Et sic adjungit: *Præceptum enim libere facit, qui libens facit, utique perfecta libertate, nam qui facit præceptum, supponitur facere cum libertate indifferentiæ, quia sine illa non est capax præcepti; quando vero id facit libenter ex amore, tunc perfecte libere, id est, ut filius, et non ut servus id facit.*

13. *Conclusio.* — *Probatur ex Scriptura.* — *Instatur.* — *Expeditur.* — *Opera ex necessitate facta, nec laude nec mercede digna.* — Hoc ergo catholico principio supposito, concludendum est divinam gratiam efficacem, id est, per quam reipsa sancta opera facimus, proprium modum libere operandi cum indifferentia necessitatem excludente non auferre. Hæc assertio est de fide, tradita olim a Patribus contra Pelagianos, et nostris temporibus specialiter definita contra Lutheranos et Calvinistas. Potest autem probari ex omnibus Scripturæ locis, quibus supra probavimus dari nobis sæpe gratiam sufficientem in actu primo, quæ ex pura hominis resistentia effectum non habet, ut sunt illa: *Vos semper Spiritui Sancto*

resistitis; vocavi, et renuistis; quoties volui congregare filios tuos et nolulistis. Nam in his et similibus locis ostenditur potestas libera a necessitate, quandoquidem ex sola sua voluntate non facit, quod per gratiam potest; dicent fortasse hæc testimonia solum probare gratiam sufficientem non tollere libertatem, de gratia vero efficaci nihil probare; nam hi qui resistunt, non recipiunt efficacem gratiam. Sed contra urgetur primo, quia si homo cum gratia sufficienti est vere liber ad operandum et non operandum, sicut aliquando utitur illa potestate ad non operandum, ita utitur etiam interdum eadem potestate ad operandum; ergo sicut libere resistit, ita libere cooperabitur gratiæ, si velit. Deinde Scriptura hominem sic vocatum et per sufficientem gratiam excitatum monet, ne in vacuum gratiam Dei recipiat, et præcipit ut convertatur, et similia, Ezechiel. 36, Jerem. 1, Joan. 6, ad Philip. 3; ergo supponit esse in potestate ejus libera actualiter et efficaciter operari cum gratia, nam qui operari non potest, nisi ex necessitate ab alio motus, non est capax præcepti aut exhortationis ad actualem operationem. Tertio, homines, etiam quando per gratiam operantur, laudantur de bono opere, et digni censentur mercede, tanquam fideles operarii, et cooperatores Dei et coadjutores, Math. 20, 1 Corinth. 3; hæc autem dici non possunt, nisi de libere ac moraliter operante: nam opera ex necessitate, nec laude nec mercede sunt digna; ergo non solum qui resistunt, sed etiam qui operantur ex gratia, libere operantur; at in illis gratia est efficax; ergo efficax gratia non inducit necessitatem contrariam libertati.

14. *Fatetur Calvinus.* — *Credere, et non credere, arbitrium.* — Secundo, ipsemet Calvinus fatetur, veritatem hanc multis antea sæculis et traditam et creditam in Ecclesia esse, nimirum gratiam Dei, etiam in his omnibus qui sancte operantur, non tollere veram ac moralem electionem a necessitate liberam, sed in his etiam operibus verum esse illud: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit;* hæc enim et similia sine gratia efficaci non fiunt, et tamen libere et cum potestate non faciendi fiunt, et ita intellexerunt has Scripturas antiqui Patres. Et ut alios nunc omittamus, id copiose ostendit Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., multa congerens testimonia Scripturarum, cap. 2 et sequentibus. Unde epist. 89, quæst. 2: *Liberum (inquit) arbitrium non tollitur quia juvatur, sed*

ideo juvatur quia non tollitur; et l. 5 de Civit., c. 10: *Si necessitas (inquit) nostra illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, manifestum est voluntates nostras quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse;* ergo, etiam quando voluntas recte operatur, sub tali necessitate non est, cum tamen recte non operetur sine efficaci gratia; et lib. de Prædest. Sanct., c. 5: *Credere (inquit), vel non credere, in arbitrio est voluntatis nostræ;* ergo etiam qui credit libere credit, quamvis sine efficaci gratia non credat; de qua subdit statim idem Augustinus: *Sed præparatur voluntas a Domino;* non dixit, *necessitatur,* sed *præparatur,* quod longe diversum est; omnia denique Augustini loca supra adducta ad probandam gratiam adjuvantem voluntatem nostram, et cum illa cooperantem in conversione sua, et in aliis operibus pietatis, ad hanc veritatem confirmandam valent, supposito alio principio ejusdem Augustini, quod *nemo juvatur, nisi qui sponte aliquid conatur,* lib. 2 de Peccat. merit., cap. 5, et in id Psalm. 26: *Adjutor meus esto,* etc. Denique, ubicumque Augustinus docet difficilem esse concordiam gratiæ cum libero arbitrio, simul docet non esse impossibilem, et ita esse unum affirmandum, et aliud non negandum; ut lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 1 et seq., et Epist. 46 et 47. Prosper etiam, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 28, expresse docet efficacem gratiam non tollere mutabilitatem voluntatis; quia vero ibi specialiter de dono perseverantiæ loquitur, de illo dono disputando locum illum tractabimus.

15. Tertio, definita est hæc veritas in Concilio Trident., sess. 6, cap. 5, ubi docens exordium justificationis sumi a vocatione, qua peccatores vocantur, ut per excitantem et adjuvantem gratiam ad suam justificationem disponantur *eidem gratiæ libere assentiendo,* exponit statim, ideo libere assentire, quia *neque nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest.* Ubi aperte declarat non tantum libere consentire, quia voluntate consentit, sed etiam quia sine necessitate consentit, cum potestatem abjiciendi inspirationem retineat. Et hanc libertatem comprobatur, quia cum in Scriptura nobis dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos,* libertatis nostræ admoneamur; nemo enim illo modo invitatur, nisi qui in potestate sua habet et converti et non converti. Nec dubitari potest quin Concilium, in toto illo capite, generatim de gratia loquatur,

quæ interdum sufficiens, interdum efficax esse potest, tum quia, nisi gratiam efficacem comprehenderet, hæreticorum sententiæ, quam præcipue refellere intendit, non opponeretur; tum quia non satis doceret conversionem et dispositionem ad justitiam esse liberam, quia illa conversio non fit nisi per gratiam efficacem; illud autem est contra intentionem ejus, et contra verbum; ait enim per motionem illam gratiæ hominem *non nihil omnino agere illam inspirationem recipiens;* de illo ergo loquitur qui aliquid agit in sua conversione, jam habens gratiam efficacem. Sit ergo certissimum, Concilium agere de tota motione gratiæ prævia, quæ non tantum necessaria est ad posse, sed etiam ad agere libere, ac subinde gratiam efficacem præviam includere. Et eodem modo idem definit in can. 4, cujus verba et multa alia in sequenti capite, et infra contra prædeterminationem physicam, amplius urgebimus. Consentit cum hac definitione Concilium Senonen., in Decret. fidei, cap. 15, ubi efficacem gratiam dicit non tollere libertatem in actu, quia *non tale est gratiæ trahentis auxilium, cui resisti non possit;* censet ergo hanc libertatem esse a necessitate, et hanc non inducere auxilium efficax, quia potestatem resistendi relinquit.

16. Et ante Concilium Tridentinum indicavit hanc veritatem Concilium Arausicum, quatenus in can. 8, 15 et 25 docet liberum arbitrium per peccatum primi hominis fuisse infirmatum, inclinatum et attenuatum, et ita læsum, ut sine gratia Dei nihil boni possit operari. Et ita tantum abest, ut per gratiam tolli dicat liberum arbitrium, ut potius reparari dicat; imo, quatenus amissum fuit per peccatum, dicit per illum reddi, qui potuit illud dare. Dicitur autem amissum, ut supra exposui, quantum ad potestatem sancte operandi, nam quia hæc potestas per gratiam datur, ideo per eandem dicitur libertas arbitrii reddi; ergo non tollit gratia libertatem, sed restituit illam, juxta verbum Christi Joan. 8, quod idem Concilium allegat: *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis;* et hanc libertatem idem Concilium docuit can. 23, dicens: *Quando homines ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo præparatur et jubetur quod volunt.* Et can. 25, propter eandem libertatem dicit: *Baptizatos per Christi gratiam, Christo auxiliante et cooperante, posse quæ ad salutem pertinent, si fideliter laborare voluerint.*

runt, adimplere. Sunt etiam valde notanda verba Concilii Toletani IV, cap. 63: *Sicut homo, propria arbitrii voluntate serpenti obediens, periit, sic (vocante se gratia Dei) propria mentis conversione quisque salvatur.* Ubi est expendenda comparatio: tanta enim libertate dicit hominem converti per gratiam, quanta contra gratiam peccavit; sicut ergo peccavit cum libertate excludente necessitatem, ita et nunc per gratiam operatur. Idem docet Concilium Valentin. in Gallia, tempore Lotharii, c. 6.

17. *Firmatur rationibus arbitrium liberum.* — *Primo.* — *Secundo.* — *Tertio.* — *Probationes contra Calvinum.* — Rationes ad hanc veritatem confirmandam sunt fere generales de libertate arbitrii, quæ cum proportione sunt applicandæ. Prima et quasi a priori, quia gratia, quantumvis efficax, non destruit naturam, sed perficit; ergo non tollit usum naturalis libertatis, sed perficit. Secunda, quia gratia dat posse operari si homo velit, et juvat ad operandum, quando homo vult; ex neutro autem sequitur ablatio libertatis; imo, ut vere juvet, oportet ut illam non auferat. Tertia a posteriori, quia alias homo esset incapax præceptorum, et auxiliorum supernaturalium, et meriti ac mercedis, etc., juxta quam rationem considerandum est, licet, absolute loquendo, non implicet contradictionem, Deum per aliquam motionem præviam necessitare voluntatem humanam, nihilominus id repugnare, si servandæ sunt proprietates moralium actuum, quas de facto et secundum fidem Deus observat. Unde quoad hoc error Calvinii contradictionem involvit, præterquam quod impie etiam loquitur ultra divinam bonitatem. Declaratur et probatur, nam imprimis ille hæreticus non solum asserit Deum per motionem gratiæ necessitare voluntatem nostram ad actus bonos, sed etiam per alias motiones similes necessitatem inferre ad actus pravos, etiam intrinsece malos: hoc autem impium est, et contra divinam bonitatem et sapientiam, et ita ex hoc capite involvit omnimodam repugnantiam, quia repugnat Deum non prudentissime et honestissime operari. Deinde constat ex Scripturis actus nostros ita fieri a nobis, ut possint prudenter præcipi et prohiberi, quantum est ex parte modi operandi nostri: nam de facto præcipiuntur et prohibentur a Deo; si autem Deus necessitaret homines ad hos actus, inepta esset talis prohibitio vel præceptio; ergo cum hac proprietate etiam repugnat illa necessitas. Simile est de ratione meriti et demeriti, præ-

mii et supplicii; quid enim magis injustum, quam necessitare hominem ad aliquid faciendum, et postea eum punire quia id facit? Et similiter cessaret ratio præmii si homo nihil de sua libertate in illo promerendo adhiberet, ideoque non posset Deus per judicium verum, seu tanquam iudex, causas hominum, ut sic dicam, terminare, sed solum per potentiam et absolutum dominium. Docet autem Scriptura Deum longe aliter providere hominibus; cum divina ergo providentia repugnat illa necessitas; quæ argumenta et similia ex sacris litteris copiose locupletat Augustinus lib. de Gratia et lib. arbitr.

18. Fundamentum autem Calvinii non eodem modo solvitur a Catholicis: aliqui enim putant illationem inficiari neminem posse, et ideo posteriorem partem de auxilio physico prædeterminante falsam esse putant; quapropter, ad judicandum in quo Calvinus quoad suum fundamentum erraverit, quid sit auxilium efficax et in quo ejus efficacitas consistat et præsertim an physice prædeterminet voluntatem, diligenter investigandum est.

CAPUT V.

UTRUM AUXILIUM EFFICAX SIT EXCITANS, SEU IN ALIQUA EXCITATIONE POSITUM, PRÆSERTIM JUXTA MENTEM AUGUSTINI.

1. *Auxilium efficax quid addat ultra sufficientem.* — *Auxilium adjuvans quale sit.* — Rejctis hæreticis, superest controversia cum Scholasticis, quæ in hoc maxime posita est, ut declarem quid addat auxilium efficax ultra sufficientem. Et quoniam, ex dictis in præcedenti libro, constat auxilium sufficientem, generatim loquendo, actu dari per auxilia excitantia, primum omnium inquirendum proponimus, an intra latitudinem auxilii excitantis detur aliquid vere efficax, et a sufficiente distinctum. In quo puncto una opinio est, auxilia excitantia, intra suum ordinem contenta, non posse esse efficaciam, sed tantum sufficientiam, necessariumque esse addi illis auxilium aliquod gratiæ adjuvantis ut efficaciam fiant. Quale autem sit hoc auxilium adjuvans, in quo efficacitas auxilii consistit, duobus modis, juxta duas opiniones, explicatur. Prima dicit illud auxilium adjuvans esse simultaneum, seu concomitans, quia non putat dari auxilium adjuvans prævium; sed revera, nisi hoc amplius explicetur, non satis est ad salvandum auxilium efficax prævium, quod faciat nos velle:

nam auxilium adjuvans simultaneum, licet nobiscum faciat velle, et ad hoc sit efficax, non tamen facit nos velle, efficaciter inducendo voluntatem, ut in capite primo libri præcedentis explicatum est.

2. *Distinguitur auxilium adjuvans in præveniens, et simultaneum.* — Propter hoc ergo altera opinio, quam moderni Thomistæ nunc communiter defendunt, distinguit duplex auxilium adjuvans, scilicet præveniens et simultaneum, dicitque efficax præveniens, quia excitans auxilium non est efficax, ut supponitur, et solum auxilium adjuvans concomitans non dat efficacitatem præviam, sed simultaneam, quæ non satis est ad salvandum auxilium prævium efficax, de quo tractamus; ergo efficaciam hæc ponenda est in auxilio aliquo adjuvante prævio. Primum autem principium, in quo istæ opiniones conveniunt, scilicet, auxilium excitans in suo ordine sistens non esse efficax, juxta mentem dictorum auctorum probari potest, quia auxilium prævium simpliciter efficax debet infallibiliter habere effectum liberi consensus voluntatis excitatæ; sed auxilium præcise excitans non potest infallibiliter habere talem effectum; ergo non potest esse efficax; ergo. Major supponitur ex dictis in capite hujus et præcedentis libri. Minor probatur primo ex Conc. Trident., sess. 6, c. 5, et can. 4, absolute ac proinde generaliter definiente, posse voluntatem his excitationibus, id est, illuminationibus et inspirationibus resistere. Secundo, quia auxilium excitans nunquam potest habere dictum effectum, sine auxilio adjuvante; ergo non potest esse efficax sine illo. Tertio, quia auxilium excitans non prædeterminat voluntatem ad unum; ergo non est efficax.

3. *Assertio.* — *Colligitur ex Augustino.* — *Vocatio ab excitante gratia.* — Nihilominus assero auxilium efficax, præveniens ordine naturæ consensus liberum voluntatis, esse quoddam auxilium excitans, ita ut auxilium excitans, in genere sumptum, abstrahat a sufficiente et efficaci, et in illa dividi possit tanquam in membra condistincta intra latitudinem auxilii excitantis: hanc assertionem tenent omnes auctores, qui admittunt auxilium efficax præveniens, et physicam prædeterminationem negant, ut infra videbimus. Eamque ex doctrina Augustini sic colligo: vocatio Dei est gratia excitans; sed vocatio aliqua non est tantum sufficientis, sed etiam efficaci, ideoque de se vocatio abstrahit a sufficienti et efficaci; ergo similiter gratia excitans abstrahit a suffi-

cienti, et efficaci, daturque aliquod auxilium excitans et efficax: consequentia evidens est; major etiam nota est, vel ex ipso nomine vocationis, nam per vocationem mens excitatur. Unde Concilium Trident., sess. 6, cap. 5, exordium salutis dicit sumi a vocatione, qua sine meritis homines vocantur: *Ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se, disponantur;* incipit ergo vocatio ab excitante gratia, et in illa maxime consistit: unde cap. 6 subjungit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes,* etc. Idem docuit Augustinus dicta quæstione 2, lib. 4 ad Simplician., in fine, dicens: *Quis potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur.* Tactus autem cordis per gratiam excitantem fit; ergo, secundum Augustinum, vocatio est gratia excitans. Atque ita Prosper, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 26, varios modos recenset, quibus Deus hominem prævenit, ac præparat voluntatem, *ut divinis, inquit, excitata præsidis, divino in se coope-retur operi;* subdit inferius: *Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, primam sibi receptoricem et famulam donorum suorum, præparet voluntatem.* Ex mente ergo horum Patrum vocatio fit per gratiam excitantem, per quam etiam voluntas a Domino præparatur.

4. *Argumentum primum.* — *Distinguitur vocatio in sufficientem, et efficacem.* — Superest ergo ut minorem propositionem, in qua est rationis vis, ex doctrina Augustini ostendamus: multa enim sunt apud illum loca, in quibus duas vocationes distinguit, quarum altera sufficientem tantum, altera etiam efficacem est, quod licet sub his terminis forte non dicatur ab Augustino per definitiones, nihilominus res eadem explicatur. Insignis locus est in lib. 4 ad Simplician., q. 2, circa medium, ubi primum inquit: *Quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest, quod vocamur;* unde infert sententiam in hac materia valde notandam: *Non igitur ideo dictum esse putandum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quia sine ejus vocatione non volumus.* Ex qua sententia primum argumentum sumimus: nostrum enim velle bonum maxime tribuitur soli Deo propter gratiam efficacem, etiam ex